

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538889**

Caput III. Subjectum proprium cum caussis examinandum complectens.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16577**

Inesse denique præsagia dentibus credidit *Aristoteles*, nam quibus rariores fuerint, haud ita diu vivere opinatus est, quoniam quæ dentium ordine sunt prædita numerosiore, esse item vitæ productioris, quod virorum exemplo, quibus plures quam feminis tribuit, confirmare annitur, sed uti hoc postremum infirmo stare mihi videtur talo, sic primum tamen non carere ratione arbitror. Indicant enim dentes multi, robur & materiæ copiam formando fetui fuisse, unde & robustum corpus ac viribus valens exurgere necessum est. Idcirco, quoniam ordo nos jubet ut ad propositum redeamus, à quo digressi sumus, ne prolixiores in Dentium Scrutinio Amico Lectori nauseam pariamus, recto tramite aggredior nunc.

## CAPUT III.

*Subjectum proprium cum causis examinandum complectens.*

## §. I.

**G**ingivarum carnem (à gignendis dentibus dictam *Isidoro l. II. orig. c. 1. a. ut Melch. Sebiz. in sp. M. Pr. vult*, non quod dentes gignat, sed quod dentitionis tempore perforetur, & genitos jam dentes erumpere sinat: *part. 2. sect. 4. c. 7.*) merito ab auctoribus pro genuino parulidis subjecto ab omnibus habetur prout in anteced. ex parte ostendi, de epulide autem potest dubitari an non etiam ex corrupti dentis radicibus earumque internam cavitatem vestiente membranula oriri possit, prout ex observationibus, infra, ubi de causis agimus, à nobis afferendis clarius patefecit; interim gingivarum constitutionis notitiam tam ad epulidis, quam ad parulidis indolem, generationis modum & curationem recte perspicendam summe necessariam existimavit *ἰσχυρός* meus magnus *Wepferus*: deprehendunt autem Anatomici esse carnem sui generis, sicque à *C. Hoffmanno Inst. M. l. 2. c. 92.* & *Th. Craanen in tr. de Hom. c. 6.* salutatur, cujus substantiam ac vasa nunc paululum contemplabimur. Antequam vero id fiat, auctoritatem virorum gravissimorum, celebrique praxi clarissimorum hæc mecum confirmantium & illas pro subjecto habentium, adducemus; inter quos haud ultimo loco nominandus *Dan. Sennert. in praxi l. 2. part. 1. c. 16.* cujus beatissimos manes adhuc dum veneramus, it. *Jonstonus in Synt. Univ. med. Pr. l. 3. Tit. 12. Vict. Trincavellius l. 3. sect. 6. c. 2. & P. Forest. l. 14. obs. Med. c. 16. &c.*



Proinde ut fidem datam servemus; *gingivarum substantia, structure, vasorumque* declarationi paulisper vacare oportet; quoniam eadem tanquam τῷ πρώτῳ ὑποκείμενον, hoc in casu omnibus habentur; hæ etenim tam in superiori quam inferiori maxilla facile visum nostrum subeunt. Constituit vero eas caro duriuscula & immobilis, quæ dentes instar alicujus valli munit, qua de re videri possunt *T. Barthol. An. Ref. l. 3. c. 12. M. Sebiz. Sp. M. Pr. p. 2. sect. 4. c. 7. Isbr. Diemerbr. Anat. l. 3. c. 22.* aut, ut utar verbis *Magnif. Wepferi*; utriusque maxillæ & dentium gingivæ sunt caro sui generis, immobilis sc., in extremo ambitu maxillarum dentes in suis alveolis detinens, instar vinculi aut ligamenti & quasi circumvallans, non tamen subiens cavitatem alveolorum: caro hæc ubi proxime attingit dentes, duriuscula est, ut officium ligamenti seu vinculi præstare possit: magis induratur alveolis oblitteratis, unde in edentulis dentium vices agit, atque aliquo modo masticationi inservit. Prope osseam tetigit in vetula, cui duo tantum dentes supererant, unus in superiore, alter in inferiore maxilla. Utcumque arcte dentibus adhæreat, nihilominus vel unguibus vel spatula obtusa non difficulter ab iisdem separatur: quod chirurgi periti ante extractionem facere solent, non secus ac cutis extremum, radicem seu lunulam unguium ambiens, facile secernitur ab illis qui exuvias digitorum præcavere volunt. Reliqua gingivarum caro tenera est, unde à Gr. γλα vocantur. Diversam non nihil ab his fovet opinionem *Job. van Horne in Microc. suo p. m. 15.* gingivarum substantiam mollem ac fungosam pronuntians: cæterum carnem esse diximus, quod rubor & facilis cruentatio, (qui rubicundus color indicat vasculorum sanguiferorum hinc inde discurrentium copiam) tum si absumpta fuerit, prompta itidem regeneratio indicare videntur; fungosam vero eandem vel potius glandulosam suo modo existere, ex humorum absorptorum cita intumescencia, affluxum sequente cognoscimus; propius quoque ad hæc accedere videtur *Steph. Blancard. An. Ref. l. c.* dum ait, plurimis præterea glandulosis acinis gingivas scaterere, ex quibus continuo humor quidam extillat, cujus ulteriorem fidem nobis facit *Nic. Steno l. de gland. oris §. 21.* qui ex plurimis glandulosæ carnis quasi fragmentis, immo glomis fibrarum, nervorum, vasorumque & membranarum ope inter se connexis constitui vult; *Gottofr. Bidloo Anat. C. H. Tab. 13.* gingivarum carnem fibrosarum instar lamellarum juxta se positarum dentem quodammodo circumambulantem, ejus adacta per microscopium structura proponit, glandulasque fibrarum harum ductibus interfitas in affixa Icone X. clare demonstrat, & seq. *Tab. 14. fig. 4.* eandem superioris gingivæ carnem cum Palato communem esse ostendit, & sub hac glandulas per ejus corpus numerosissime dispersas, una cum fibrosis earundem connexionibus ibidem exhibet.

hibet. Teguntur ginivivæ membrana seu cuticula simili illi, qua lingua partesque oris internæ operiuntur; imo eadem. *Vid. Disp. pec. Altdorfi hab. à J. D. Müllero Anno 1675. p. 15.*

## §. III.

*Mollem adhæc carnem cum Doctiff. Viro Joh. van Horne l. f. all. statuimus; puta s. n. in juvenibus & consistentis ætatis hominibus; in adultis enim & edentulis aliter se habet, dum resiccata cartilagineam acquirit duritiem, mandibulamque senibus pro scipione esse juvet teste J. M. Hoffmanno in nott. ad J. van. Horne Microc. §. 13. hocque pacto optime conciliari possunt illi auctores §. anteced. all. qui gingivarum carni duritiem attribuunt quamdam, si suam opinionem pro ratione ætatis conceptam, cum nostra velint conjungere. Infinita pariter Vascula sanguifera hic obveniunt, tam arteriosa, quam venosa ab iis, quæ ad dentes itare dictum est, teste C. Hoffman. Inst. M. l. 2. c. 92. §. 13. & Vido Vidio l. 4. de T. Val. c. 8. in quem finem, Celeberr. Vir. M. Ertmüller. oper. in fol. ed. p. 1. Coll. Pr. c. 3. annotatum vult, nutriri dentem non solum, per propria sua vascula, arteriolas ac venulas, circa sui radicem implantatas sed lateraliter etiam ex adhærentibus ipsis gingivis: quam sententiam ab Helmontio hausit, nos autem vanam esse, supra ostendimus. Nihil equidem per poros transudante sanguine nutritur, aut nutriri potest, omnium vero minime ossa, quæ ne guttam sanguinis recipere, ipsosque dentes ejus nihil profusus continere, multo videtur veritati convenientius: vasa autem ex gingivis in dentes abeuntia hæcenus nondum innotuere. Nervulis demum gaudere plurimis, ipse testatur sensus, veluti, quibus intempestive parulides aperiuntur, abunde experiuntur, & quidem, expansiones fibrillarum nervearum admodum sensibilium conspectui nostro in avrovia cuilibet patent, hæcque à prioribus, à solertissimo Williso & R. Vieussens antec. cap. §. 10. memoratis producentur, qui evolvi possunt. Lymphaticis etiam gingivam præditam esse vasis, statuit Iatpuxat Wepferus in laudatis ad me literis. Blancardus in Anat. Ref. (quem & supra tetigimus) acinos glandulosos adesse, conjicit ex perpetuo illarum madore, nam nudis oculis non conspici, quæ tamen conjectura satis est infirma, mador enim ex ductibus salivalibus, & glandulis oris provenire posset.*

## §. IV.

*Usus gingivarum quod spectat, alias is habetur, ut dentium ordinera obsepiat, atque oppletis eorum intervallis, vacillaturam eorum compagem firmet, nec minus oris ornamento inferviat; immo in edentulis aliquid ad ciborum contritionem faciat: Vid. Blancard. A. R. p. 1. c. 16. J. M.*

Qq 2

Hoffmann



*Hoffmann. l. laud. & Th. Bartholin. l. c. His adde Vid. Vidiuum l. 4. de T. Val. c. 8. M. Sebiz. Sp. P. M. l. de Zacut. Lusit. Hist. M. l. 6. p. 923.* Nos autem cum pace tantorum virorum hæc vix admitti posse existimamus, non enim credibile est, mollissimam carnem durissimis dentibus firmitudinem præstare posse, qui alveolis suis, ea etiam sublata, firmissime inhærent, vel integra etiam gingiva, si quid p. n. ipsis accidat, deprehenduntur vacillare; itaque cum ad salivam augendam, tum maxime ad contegenda maxillarum ossa quæ nuda existere admodum erat inconueniens, hæc appositas esse arbitramur.

## §. V.

Declarato itaque subjecto, ad *Causarum* scrutinium me accingo, nam tum demum ex sententia *Aristotelis* scimus, quando causas cognoscimus. De parulide autem primo erimus solliciti, & cum duplici serie nobis obveniant, sc. immediata seu proxima & mediata, quæ vel propinquior vel remotior habetur, de singulis ordine loquar: a *Causa* autem *Immediata* seu *Proxima* exordiri placet: hanc optime assignamus inflammationi in gingivis obviæ, in omni enim cum parulide tum epulide observatur prius inflammatio, quæ ob spongiosam & mollem gingivarum raritatem intumescantiam interdum tantam causatur, ut dentes molares obtegantur, de qua re *Vid. Jonston. in Synt. Un. med. Pr. l. 3. tit. 12. Gorraeus. in def. med. lit. E. Zacut. Lusit. Prax. Admir. l. 1. obs. 93. P. Sorbait. med. Pr. l. c. Petr. Forestus obs. med. l. 14. obs. 16. Schmitz. in Comp. Pr. c. not. Rumpfii. p. cit.* Sunt enim gingivæ per dictam suam structuram idoneæ, quibus ingens affluentis materiæ copia contineatur, & hoc pacto parulis constituitur. At cum id non uno contingat modo, nec sponte sua vel secundum naturam, visendæ erunt aliæ causæ, principem hanc inferentes læsionem.

## §. VI.

*Causa mediata* & quidem *propinquioris* vicem suppleant omnia illa, quæ activitate sua spongiosam, vel potius glandulosam gingivarum carnem plus justo tendere norunt, item crebro novi sanguinis alluentis appulsu has sensim sensimque laxare calidiorique solent inflammare. Adfunt vero primo statim & in limine humores, neque enim multiplices ab auctoribus descriptæ intemperies absque M.S. contemplatione sufficienter exponi queunt. Quoties nempe sanguis particulis calidis ac biliosis vel ferosis acribus abundans, ei occasionem præbet, teste *Foresto. obs. med. l. c.* Ubi nimirum humores nimium affluentes ferosi, acres, biliosi, nimiaque alluvie gingivarum substantiam distendendo attollunt, ibidemque subsistunt, quales in scorbuticis alias solent observari, valdeque ipsis familiares esse constat.

Hinc



fius ad gingivas fluit, assignata: Qui interdum ex vitiosorum humorum vaporibus a ventriculo ascendentibus gigni cum *V. Trincavell. l. 3. sect. 6. c. 2.* credunt, maxime falluntur, cum non in remotis alienisque quærendum sit agris quod propius & domi quasi nascitur; hæc ὡς ἐν παροδῶ de scorbuto diximus.

## §. VII.

Sed properandum nobis est ad *Causas Mediatas Remotiores*, ubi in classe rerum primo naturalium deprehendimus *atatem*. Tam juvenilis autem quam infantilis huic malo obnoxia est, quod notarunt Practici expertissimi; de infantili inter alios *Vidius & Omnibon. Ferrar. de Art. M. Infant. l. 3. c. 30* Sexus nulla hic prærogativa est, neque sequioris major in morbum propensio quamvis nonnulli vitam hujus sedentariam nullibi non soleant inculpare: Hinc ἰατρικῶτα. *Wepferus* ita: *Nullus sexus, nulla ætas dentata est, cui non quandoque gingivæ nunc versus buccam nunc versus linguam aut palatum in utraque maxilla tumore inflammatorio corripiantur, plerumque precedente vel comitante odontalgia: quandoque simul horrende male intumescunt, idque ob circulum sanguinis ex arteriarum ramusculis in sirculos venosos & lymphaticos, impeditum, vel in gingivis, vel circa radices dentium, subinde in utroque loco simul.*

## §. VIII.

*Res nonnaturales* quoque suis heic minime destituuntur visibus. Experiuntur id incommodi illi, qui sub aëre a falso maris halitu infecto degunt, quem auctores frigido humido credunt peccare, sed falluntur. Venti quibusdam etiam haud innocenter accusati; commovent enim humores, ac catarrhis ansam subministrant, quod in illis consuetum esse, qui in locis vivunt aquosis & humidis, quales sunt nautæ & piscatores, docet *P. Forest. obs. Med. l. 14. obs. 16. p. 117.* Vide & *M. Sebiz. in sp. M. Pr. part. 2. sect. 4. c. 8.* & *Viç. Trincav. in Ench. Med. l. 3. sect. 6. c. 2. p. m. 427.* Huc pertinet quod *Hippocr. sect. aph. 21.* æstivum aërem accusat, dum æstate cum aliis etiam *σομάτων ἐλκώσιες* provenire asserit: quod locum habet, tum quia sanguis tum temporis calidior est, tum etiam quod acriorem & fixiorem fieri, exhalantibus subtilioribus particulis, rationi consentaneum est. *Alimenta* calida, falsa, acria, præsertim carnes se conditæ & fumo induratæ omniaque illa quæ in scorbuto accusari solent; item caseus antiquus, rancidus, putrilaginosus, de quo *Lud. Nonnius l. 2. c. 17.* maximopere vero tyrotarichus, de quo *Cicero ad Popirium Patrum l. 9.* & *ad Attic. l. 4.* & *Erasin. chiliad. 5. cent. 1. adag. 16. f. m. 1061.* & *Apicius l. 4. ac Cæl. Rhodig. l. 3. c. 26. ap. Auctorem Fori Rom. T. 3. f. 1004.* symbolum conferre possunt. Sic *Forestus obs. 16. l. 14.* in propria uxore idem observavit, cum tempore

pore



pore quadragesimali halecibus  $\ominus$  sis, tum fumo induratis supra modum delectata, intemperantius ea in cibum adhibuisset. Præsertim vero Saccharum gingivis atque dentibus valde nocere asserit *Schenck. l. 1. obs. p. 200. Sebiz. l. 2. de fac. alim. p. 525. & Vogler. Diætet. comm. c. 9. p. 33.* A quo tamen, num in hoc affectu aliquid metuendum sit, dubium videtur. Potus quoque generosior, humori vitali pabulum largius subministrando, hocque modo sanguinem accendendo, morbo ansam dare potest, quod cuilibet est obvium judicare. Possimus & reliqua huc pertinentia variis edocere exemplis; verum quid nimix *Vigiliae*, longior *somnus*; *Excretorum* pariter ac *retentorum* negligenter habita ratio, *motus corporis & animi* modum excedentes in M. S. varie alteranda, eaque concitanda præstare valeant, vel obiter in hoc argumento versatum latere vix potest. *Vide sis Horst. in lib. de Tuend. S. Jhud. Quercet. in Diætet. aliosque plures.*

## §. I X.

Res p. n. uti varix, ita nec minoris momenti sunt; sic *P. de Largeluta l. all. f. 46. a.* inquit: *Ista apostemata quandoque fiunt a materia descendente a capite, & quandoque etiam ob communitatem stomachi & quandoque etiam propter aliam egritudinem*, prius assertum confirmat *Experitissimi Wepferi* observatio infra a nobis recensenda de Nobili Erudito, cui post hemicraniam dextri lateris aliquot septimanarum tota dextra mala affecta est, si tamen hoc ad parulidem referri potest. In scorbuticis malum hoc frequenter accidere in præcedentibus dictum fuit, quod confirmat. *M. Sebiz. p. 2. sect. 4. c. 8. P. Forest. l. d. M. Ettmüller. Oper. f. p. 1. Coll. Pr. c. 3. Doleus in Encycl. M. Pr. l. c. Laur. Strauß. in Palestr. M. p. 3. gymn. 14.* Quare & multa colligere licet ex saliva ejusmodi corrupta, ac vitata in iis prædictam *διὰ θεοῦ*, obtinentibus. Post diutinum acidi humoris vomitum ortam vidit *Cardanus l. 12. de subtil.*

## §. X.

Haftenus de Parulide, nunc de Epulidis caussis paucis agemus, quam præcipue ex hac ipsa Parulide male curata aut ferius aperta originem trahere, cum Auctoritas summorum Virorum, tum & observationes non sinunt nos dubitare, unde etiam plerumque videmus affectus istos Practicis conjungi & post Parulidem de Epulide ab ipsis sermonem institui; in exemplum citare possumus ex Græcis *Aëtium & Æginetam*, ex nostratibus plerosque Practicorum, qui istos affectus non prætermiserunt, & quorum passim jam supra facta est mentio: *Lege cumprimis Forest. l. d. Jonston. in synt. M. Pr. l. c. Viët. Trincavell. Ench. Med. l. 3. sect. 6. c. 2.* Nonnunquam enim optimis etiam remediis & sedula curantis manu, quo minus id fiat, vel ex quascumque tandem alias simul partes obfidente hu-



humore Epulis prorumpat præcaveri non potest: quod evenire credi par est a malignitate latentis in vicinis glandulis feri, quam potissimum in summa acrimonia consistere, vel alia corruptissima ejus indole constitui, existimamus. Hinc & Aëtius & Ægineta & nostrates & reliqui auctores omnes, & in his etiam Chirurgus hujus seculi longe Expertissimus *Petr. de Marchettis in syllog. obs. Med. Chirurg. obs. 34.* monent horum tumorum suppurationem non expectandam esse, ne ossa corrumpantur, & fistulæ insignes ægre sanabiles oriantur; sed scalpello admoto mature illos aperiendos, ne scilicet pus quod continent, acrimoniam contrahat & vicino fero communicet, quo factò vel ossium caries, vel saltem Epulis cito pede consequitur: cujusmodi corruptio hic loci promptius quam in aliis partibus contingit, quia tota hæc oris interni substantia glandulis intertextâ est, seroque abundat, quod sibi relictum, promptius acrimoniam & corruptionem admittit, quam ubi cum sanguine junctum eoque temperatum est. Lubet isthæc aliquot Historiis ab Incomparabili Practico & Patrono meo summo J. Jac. Wepfero communicatis ulterius ostendere, & in id propria ejus verba citare; quibus etsi Epulidis & Parulidis nominatim nulla fiat mentio, eo tamen referendos esse istos affectus facile patebit. *Prænobilis quidam Vir literis admodum deditus 52. ann. staturæ longæ, Sanguineus, Hemicrania dextri lateris aliquot septimanis affligebatur, in qua oculus, tempus & bregma dextrum ad vorticem usque doluit. D. 12. Jul. 1668. mala dextra cum rubore valde intumuit, videbantur dentes in hoc latere vacillantes ceu ceræ essent infixi: febricitavit continuo, ita tamen ut rigores incertis periodis redirent, nunc semel, nunc bis in die, simulque dolor invaluit in toto dextro latere capitis, simulque ad vomitum stimulabatur. 14. Jul. demum in maxilla superiore sed prope molarem canino vicinum, durum tumorem tango: statim imposui ficum inversam in lacte coctam cum sol. alth. Eodem die abscessus ruptus fuit, non in gingiva, sed superne versus narem effluxit pus fetidissimum: febris inde remisit: mala detumuit, atque magis d. 15. Jul. Postea d. 16. Jul. Hemicrania, imprimis circa oculum fere evanuit: foris presso myrsace seu parte inter nasum & labium per vices prodit pus fetidum, dentes firmiores erant: tuberculum gingivæ subsedit: aliud tuberculum in palato prope dentes dimidia Nucis Moschatæ magnitudine etiam in latere dextro emerfit. D. 17. Jul. dolor cum tumore in mala penitus evanuit, pressa tamen mala pus aqueum fetidum prodit 19. Jul. tunc exsudare cepit pus album coctum ex tuberculo in nare dextra conspicuo: presso tuberculo in palato, prodit pus in maxilla superiore. Citra incisionem vel in maxilla superiore sive in palato, citraque cariem ossis, naribus tracto Aq. plantag. Majoran. mell. rosac. & continuata impositione ficus, convaleuit, nec quicquam molestiæ sensit ad ætatis ann. 64. quo tempore ex vonica in pulmonibus rupta vivere desiit. Nuper d. 9. Jan. 1691. Rhinovii ad me adductus fuit Fridolinus Hinni, puer satis robustus 13. annor. circiter ab aliquot annis in maxilla inferiore dextra habuit fistulam ichorem continuo stil-*

lan.



lantum: prope ipsius ostiola pendebant duo tubera scrophulosa avellana majora: Chirurgus extraxit dentem cariosum, quem fistula fontem credebat, unde valde imminuti fuerunt tumores & aliquot foraminula obliterabantur: duo supererant; unum crusta tegebatur, alterum subinde exsudavit quasi parum feri: Stilo tenui non potui ad maxilla os penetrare citra cruoris profusionem: ab aliquot mensibus ipsi abortus est alius tumor in maxilla sinistra magnitudine N. M. simul sub orbita oculi ad nasi partem externam mala intumuit: extracto dente molari, tumor gingivæ & mala detumuerunt; in gingivæ tamen persistit tumor magnitudinē N. M. dimidiata, foris vasis sanguiferis in minutissima capillamenta diremptis conspicuus, tactu mollis: dum intus tumorem & foris malam premo ex molari, canino vicino, una atque altera guttula puris exstillavit, multum autem puris crassiusculi, subviridis, bene cocti, lingue incubuit, ore hiante & lingua spatula depressa, labio superiore & mala sinistra fortius quoque pressis video pus simile copiosum prodire ex parte postica molli palati, digiti distantia ab uvula ex rimula oblonga, ceu Lancetta insidua; unde facile conjicere potui, tumorem hunc amplissime sursum versus malam, deorsum versus palatum, præditum esse, ac jam supra tunicam palatum investientem eoque cuniculos fecisse, ubi rima apparuit: puer nec ante pressionem nec in illa, nec postea vel minimum de dolore conquestus est, sola lingue depressio molesta ipsi fuit, quia iterata illa fere semper ad vomitum provocabatur; suasi incisionem tumoris oblongam, & dentis cariosi extractionem & illinitionem crebram melle rosato, cum pauperculus esset. Tumores autem isti inflammatorii & suppurati non solum in maxilla superiore, sed quoque in inferiore gingivis asciscunt pus, quod nisi caveatur, viros cuniculos parat, nunc sine ossis carie, idque rarius, nunc cum illa idque frequentius, corruptis ossibus circa ambitum, ubi tenerius & spongiosum est, quandoque etiam inferius, ubi robustius & durum est, adeo ut foris incisio faciendæ, & puri exitus parandus sit, immo non raro vulnus ampliandum est, ut os profundius cariosum redditum, radi queat. Liqueat autem ex his post parulidem & affluxum acerrimi humoris etiam dentium cariem nonnunquam Epulidi causam præbere; ut enim videmus ex capitis vulneribus cum cranii & meningum læsione ex corrupto humore non infrequenter fungos propullulare malignos, ita etiam hic simile quid accidere deprehenditur, cujus rei & mihi sese exemplum notabile obtulit in quodam, ubi in inferiore maxilla quidam ex molarium numero penitus ob cariem ac putredinem consumtus, remanentibus tantummodo in ambitu ejus fragmentis paucis, caro superflua, nobis Epulis dicta, magno cum ægri dolore, vicinarumque partium inflammatione propullulavit, insigni sensatione prædita, ut ne quidem levissimum perpeti tactum potuerit. Simile & huic exemplum refert Magnus ille Machaon tertius in nobili virgine & matronis quibusdam a se observatum, quorum historias infra pluribus referemus: oriri autem dentium cariem quandoque ex eo etiam existimat prælaudatus Wepferus meus, dum plus minus exesi dentes a lapide dentali seu lithodonto obfessi, minus firmiter gingivæ cohæ-



rent, sed successive decidunt: reliquæ item & fordes ciborum diu dentibus infixæ permanent, sicque sensim putrefactæ acrimoniam acquirendo dentium substantiam e medio quasi consumunt ad radices usque, inde gingivæ eo facilius protuberant ac excrescunt, ceu superius cap. 2. annotavi: idem sentit *M. Ettmüller. Lipsiens. quondam Prof. P. Famigeratis. in Op. in fol. edit. p. 1. c. Pr. c. 3. p. m. 110. & 112.*

---

#### CAPUT IV.

##### *Diagnosin & Prognosin tradit.*

###### §. I.

**D**iagnosin parulidis in facili est, potest enim ad gingivas ortus tumor nec oculum inspicientem, nec tangentem manum fugere, itaque nihil fere amplius de hoc addendum est, quod etiam de epulide tantum non locum habet; excrescentia enim in gingivis perruptis circa molares obvia est, adeoque per se malum hoc visui patet, seque ipsum manifestat: quo tamen certior cognoscatur, ipsa ejus substantia quoque consideranda est; est autem durior & magis nigricans parulidis, quam simplex gingivarum intumescencia esse solet, nec vulgaribus remediis cedit, aut sua recedit sponte, sed subsistit & pus agit subtrus, ni tempestive occurratur quibus signis à modo commemorato simplici gingivarum tumore facile dignoscitur.

###### §. II.

Hæc de parulide sufficiant: epulidis autem, ut jam innuimus, nihilo difficilior est cognitio, neque enim minus ac parulis incurrit in oculos, & à luxuriantibus gingivis discernitur, quod extra earum superficiem prominet, aut etiam ex ipso carioso dente propullare observatur, quod quamvis Auctores Græci à nobis allati non monuerint, recentiores tamen observarunt: substantia ejus non vere carnosa est, nec glandulosa, sed qualem alias natura non agnoscit in corpore: laxa fordida & flaccescens, cruorem, si paulatim attingatur, de se fundens, nonnunquam putredine diffluens, aliquando ejus est expers: sæpe febris conjungitur cum dolore vehementi internarum mandibularum, ut neque os ægro aperire liceat, censente præcipue *Ægineta lib. 3. c. 26. Actio tetr. 2. serm. 4. c. 25. D. Sennerto in Prax. lib. 2. p. 1. c. 16. M. Sebiz. Sp. M. Pr. p. 2. f. 4. c. 9. Schmirzio in Comp. M. Pr. p. 439.* Cujus rei ratio est, quod inflam-